



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE CUM NUPER SANCTUS ALOISIUS GONZAGA, RELIGIOSUS,
PATRONUS APUD DEUM CIVITATIS

AC DIOECESIS SANCTI ALOISII DE MONTES BELOS IN BRASILIA CONFIRMATUR Ad perpetuam rei memoriam. –
Cum nuper nomen dioecesis Sancti Ludovici de Montes Belos sit mutatum in Sancti Aloisii de Montes Belos
appellationem, cumque pariter fideles eiusdem Ecclesiae Sanctum Aloisium Gonzaga, religiosum, peculiari quidem cultu
prosequantur tamquam clarissimum exemplum fidei, spei et caritatis, Venerabilis Frater Washington Cruz, Episcopus
illius Sedis, communia cleri populique vota excipiens, electionem Sancti Aloisii Gonzaga, religiosi, in Patronum apud
Deum civitatis ac dioecesis suae rite probavit atque, litteris die XXVII mensis Iunii hoc anno datis, petivit ut electio et
approbatio huiusmodi iuxta Normas de Patronis constituenda et ad normam Instructionis «de Calendariis particularibus
atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, ab hac Apostolica Sede confirmetur. Nos igitur, tam
sollertis cupientes preces audire Pastoris, comprobatis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina
Sacramentorum, factis a Nobis facultatibus, hac in re egit, Apostolica Nostra usi potentate, harum Litterarum virtute
perpetuumque in modum Sanctum Aloisium Gonzaga, religiosum, Patronum apud Deum civitatis ac dioecesis Sancti
Aloisii de Montes Belos loco Sancti Ludovici confirmamus, cum omnibus iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas
consequentibus. Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae religiose serventur suosque effectus sive nunc sive in
posterum habeant. Contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo
Piscatoris, die III mensis Augusti, anno MCMXC, Pontificatus Nostri duodecimo.* AUGUSTINUS card. CASAROLI a
publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1990 - Libreria Editrice Vaticana
